

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

**Friderici Iacobi Beyschlagii, Gymnasii, quod Halæ  
Suevorum est, Adiuncti, & ad ædem S. Mich. Archangeli  
Catechetæ extraordinarii, Sylloge Variorvm Opuscuvlorvm**

(Programmatvm, Orationvm, Epistolarvm, Poematvm, Dissertationvm,  
Aliarvmqve Observationvm ... )

Fascicvlos I.II.III.IV.V. Ab Annis MDCC.XXVII.M.DCC.XXVIII.M.DCC.XXIX.  
Editos, Complexvs. Cvm Indice Triplici.

**Beyschlag, Friedrich Jakob**

**Halae Suevorum, M.DCC.XXIX**

V. De Probi Cognomine Serenissimo Principi Ac Domino Wilhelmo Ernesto,  
Dvcí Saxoniae, Ivliaci, [...]

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16134**

V.

DE

PROBI  
COGNOMINE  
*SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO*  
DOMINO

WILHELMOERNESTO,  
DVCI SAXONIAE, IVLIACI,  
CLIVIAE AC MONTIVM, ANGA-  
RIAET WESTPHALIAE,

RELIQVA

PATRIAEPATRINDVLGEN-  
TISSIMO,  
IN POSTERVMDIITAVIDEATVR,  
TRIBVENDO,

AD

ILLVSTRISSIMVM DOMINVM  
DOMINVM  
FRIDERICVM GOTTHILF  
MARSCHALLVM,

DICTVM GREIF,  
SVPREMVMAVLAESAXO-VINA-  
RIENSISMARSCHALLVMETCONSI-  
LIORVM PRINCIPEM

EPISTOLA

IO MATTHIAE GESNERI.

VINARIAE, LITTERIS MUMBACHIANIS.

**P**atere, ILLVSTRISSIME DOMINE, ut tibi narrem, quæ non ignoras, & ad quæ potius testimonii tui religionem auctoritatemque, quam attentionem & suffragium mihi expeto. Patere partem aliquam & specimen sermonum nostrorum a me foras eliminari, quod ut intra meam solius conscientiam diutius contineam, nescio quo instinctu prohibeor. Meministi, plus semel, cum de Serenissimo Principe inter nos age. retur, qui hanc, qua fruimur, civibus felicitatem præstat, præstitus, sua si bona norint homines, longe etiam maiorem, mirum nobis videri, nondum prolatum a quoquam cognomen aliquod esse, quod præstantiam tanti muneric divini indicet, nec tamen a quoquam Saxonum certe, occupatum sit. Licet enim præstet meruisse cognomen, quam habere, licet etiam nullum fere cognomen sit in Saxonibus, quod quidem ad laudem & decus pertineat, quo non suo iure ornari etiam queat WILHELMVS ERNESTVS, princeps omni omnium laude dignissimus: videbatur tamen æquum esse, ut is, qui & diurni imperii (quod ultra

ultra exempla & comparationem producat Deus!) felicitate, & suis in cives suos benefactis, quicunque bonis Principibus haberi potest, honorem meruit, illa quasi laurea cognominis vivus & videns fruatur: qua si nihil ipsi accedat, tamen hoc posteri nanciscantur commodi, ut una & brevi significatione & quis fuerit Serenissimus, quem nunc veneramur, Patriæ Pater, & qualis fuerit, indicare possint. Ut autem in rebus aliis fieri non nunquam solet, ut casus plus valeat quam industria, & fortuna quædam offerat, quæ frustra quæsieris diligentia, ita hic etiam accidit. Offerebatur mihi auctumno superioris anni venalis nummus aureus memoriæ sœculari anni CIC 150 XXX. cusus, decem ducatorum pondere, quo carebat adhuc numophylacium Serenissimi Principis Saxonum. Eum ego nummum, cum literulis quibusdam meis Germanico versu exaratis, mittebam ad Serenissimum Principem, interrogandi causa, an liceret illum præstinare. Cumque nec liberalis ioci impatiens sit gravissimus alioquin Princeps, non modo ipsas literulas tanquam a numophylacio scriptas, filia ipsius, informavi, quod paullo ante in gratulatione



768 V. Ad Illustriss. Dn. Frid. Goth. Marschallum  
tulatione natalicia iam factum a me non in-  
dignante ipso fuerat; verum etiam cum li-  
teris dies esset adscribendus, & is decimus  
Novembris esset, qui Martino nostro Lu-  
thero sacer, in fastis antiquioribus nomen  
**PROBI** habet, Ravennatis Episcopi & mar-  
tyris, scripsi datas a me literas, eo die, qui  
& Serenissimi Principis, & Lutheri, quem  
nummus respicit, nomen habeat \* Ea res  
in memoriam & tibi revocabat, ILLVSTRIS-  
SIME DOMINE, & mihi illum priorem ser-  
monem nostrum, fecitque ut ab eo tem-  
pore subinde cogitaverim, essetne forte no-  
men illud eiusmodi, quo & honor, quan-  
tus quidem a pietate viribus destituta pro-  
ficiisci potest, haberi Optimo Principi, &  
ita ut modo dicebam posteris posset con-  
suli. Observare igitur aliud agens & le-  
gens, quod adhuc non feceram, cœpi, quo-  
modo usi essent veteres illa voce, & quibus  
proprie rebus illam applicuissent, ut deinde  
facilius constitui posset, PROBVMNE vocare  
Serenissimum WILHELMVM ERNESTVM, & illo  
quasi cognomine ipsum afficere, par esset.

Eam

---

\* Da dein und Luthers Nahm' in dem Kalen-  
der steht.



Eam porro disputationem apud te insti-  
tuere, ILLVSTRISSIME DOMINE, & te quasi  
arbitro de usu vocis Latinae disceptare, nihil  
dubitavi, non tantum quod de cognomine  
illi principi tribuendo ageretur, cuius tu  
gloriam & commoditatem tuis antevertere  
foles omnibus; sed quod nec verborum  
curam infra fastigium tuum habes, & quid-  
quid videatur aliis, qui Grammatici & Cri-  
tici nomen sufficere ad contemptum pu-  
tant, cum Socrate sentis, cui sapientiae  
laudem summo consensu tota tribuit, a bis  
mille inde annis, antiquitas. Is autem ita  
rationem solebat subducere, (a) *Qualis*  
*cuiusque animi affectus est, talem esse homi-*  
*nem, qualis autem ipse homo esset, talem eius*  
*esse orationem, orationi autem facta similia, fa-*  
*ctis vitam. Quæ cum ita sint, cumque nihil*  
*aliud sit oratio, quam ipse foras prodiens*  
*animus; vel inter maximas ingenui homi-*  
*nis curas hanc referendam arbitraris, ut*  
*commodè loquamur, sapienterque tibi vi-*  
*dentur coniuncta ab Homero (b) quæ male*

*Tom. I. Fasc. IV.*

Ccc

a qui-

(a) apud Cic. Tus. 5, 16.

(b) Ιλ. I. Μύθας τε ρητῆρι εὔστοι, πρηκτῆρα δὲ  
εὐγνωμ.

a quibusdam disiunguntur, verborum cura & perfectio operum. Porro de toto laudandi genere ita existimas, ut eius, qui natus stili apud Gallos felicissime exercuit, (c) sententiam unice probes, quam videbo an Latino versu dicere possim, *Nil pulchrum nisi quod verum est, nec amabile quidquam: eosque vel contemnas vel miserere, si qui etiam in te laudando aliter versentur.* Hæc igitur omnia facile animum meum impulere, ut cum te potissimum instituerim alloqui, tum nihil verear, etiam disputationi de nomine, quam, quod scholam & libros veteres oleat, indignam tua persona non nulli forte iudicent, arbitrum te & iudicem adhibere. Quid igitur PROBI appellatione intelligatur, age breviter videamus. Hic non commorabimur in origine nominis *indaganda*, quod primigenium arbitror equidem, & fontem potius aliorum, quam ut ipsum aliunde ductum videatur; meras autem nugas, quæ Festus habet, cum, *probi,* *inquit, quasi prohibi, qui se a delinquendo prohibent:* quem nihil iuvat, quod ex *Lucretio* (d) adfertur, *Nam sive est aliquid quod probeat,*

---

(c) Boileau Ep. 9, 43. Rien n'est beau que le vray, le vray seul est aimable. (d) I, 976.

probeat, officiatque. Ut enim nihil aliud, modus certe syllabæ, & Pedia lex, aperte nimis repugnant. Magis refert significacionem nominis ex usu bonorum auctorum, exquirere & declarare, ut constitui deinde possit, dignumne illud tanti Principis virtutibus aliquo modo indicandis videatur. PROBVM igitur illud video dici ab Romanis, quod post examen & explorationem bonum, & illud esse apparet, pro quo venditatur. Ipsum autem examen etiam probationem vocari, & utramque vocem coniugatam PROBI esse, eiusdemque generis, aperatum est. Itaque sedem & locum proprie & forte primum habet in metallis nobilioribus, quibus tanquam pretio eminenti utuntur gentes, quoties illud suæ naturæ esse, & minime adulteratum, indicare volumus. Ita in stipulationis formula apud Plautum, (e) *Ducentos nummos aureos, Philippos Probos, Dabin?* Et in cautione, quam in auditorio Papiniani Praefecti Praet. lectam refert Paullus ICTUS, (f) *L. Titius scripsi me accepisse --- quindecim PROBA, &c.* Et in simili  
CCC 2

(e) Bacch. 4, 8, 41.

(f) l. 40, de rebus creditis.

simili epistola, (g) Remanserunt apud me quinquaginta - - quos tibi reddere debeo idibus Maiis PROBOS. Neque in privatorum modo negotiis ita cavere sibi solebant, verum in fœderum quoque publicorum tabulis. Verbi causa, in fœdere cum Antiocho, apud Livium (h), Argenti PROBI XII. millia Attica talenta dato. Quæ vis huius verbi fuerit, idem Livius (i) præclare docet. Carthaginenses eo anno argentum in stipendium impostum primum Romam advexerunt, id quia PROBVM non esse, quæstores renunciaverant, EXPERIENTIBVSQVE pars quarta DECOCTA erat, pecunia Roma mutuo sumta INTERTRIMENTVM argenti suppleverunt. Ex his igitur satis superque apparet, credo, quid sit apud Plautum, (k) PROBVM & numeratum ut accipiat face, & recte Salmasium (l) asperum & PROBVM Senecæ (m) numum interpretari ex Polluce (n) δόκιμον καὶ ἐπίσημον. Breviter PROBI nummi sunt probati, ut apud Plautum, (o) PROBATI hic argenti sunt sexaginta

(g) I. 24, de pecu. constit. (h) Liv. 38, 38, extr.

(i) Liv. 32, 2. pr. (k) Pers. 4, 3, 57. (l) Salm.

ad Lampridiū Alex. Sev. c. 33. extr. p. 94<sup>1</sup>.

(m) Sen. ep. 19, extr. (n) Poll. 3, 10. l. 86.

(o) Pers. 4, 6. 1.



ginta minæ. Sed, ut fieri solet, ad alia etiam pluscula translata est PROBI appellatio, quorum experimento vel indiciis certis cognita bonitas indicatur. Ita apud Plautum, quem sæpiuscule laudare tanto minus piget, quod is germanum sermonis Romani penu, & maxime idoneus vocum arbiter suo merito habetur, (p) PROBA merx facile emtorem reperit, tametsi in abstruso sita est. Et apud Ciceronem, (q) ut aliquis ex sententia naviget, PROBVM ante omnia navigium, tum gubernator bonus & tranquillitas requiruntur. PROBVM, quod decumanorum fluctuum sustinere experimenta possit. Nec ab hoc intellectu receditur, cum PROBI coloris matrices in gallinaceo genere legi vult Columella (r) meus, h. e. quem cum fœcunditate coniunctum experientia docuit, sicut PROBVS ager eidem (s) ille est, qui spem agricolæ periculum facientis non fellit. Ab rure & agris transeamus ad politiora humanæ artis opera, & quid PROBVM in his appelletur, videamus. In oratione omni PROBÆ res ut sint & lecta oratio, Ro-

Ccc 3 manus

(p) Poen. i, 2, 120. (q) Cic. Acad. 4, 31. med.

(r) Colum. 8, 2, 8. (s) Colum. de arb. 3, 6.

manus Orator (t) idemque rhetor præstantissimus postulat, quod aliquis de schola superioris ævi, & *materiale* bonum esse debere diceret, & *formale*; & quidem non bona tantum iudicio ipsius Oratoris, sed talia, quæ auditorum auribus & animis probari queant, *Nam talis fercula cœnæ Massim convivis quam placuisse coquis. Iam in poematibus & picturis evenit, Tullio (u) dicente, in aliisque compluribus, ut delectentur imperiti, laudentque ea, quæ laudanda non sunt, ob eam credo causam, quod insit in his aliquid PROB quod capiat ignaros, qui iidem quid in una quaque re vitii sit, nequeant iudicare.* PROBVM igitur illud est, quod nativa illa sua & genuina bonitate ita se oculis & animis hominum ingerit, ut inter ipsa etiam vitia, quibus circumdatur, eluceat, eaque resiliens a se quasi radiis ab oculis eorum, qui non nimis acres sunt, occultet. His ve luti gradibus sublata vox etiam ad mores tandem hominum refertur, & primo quidem generatim PROBOS dictos esse video, in quibus τὸ καλὸν illud deprehenderetur, nativa illa pulchritudo, quam non possunt non

---

(t) Cic, Orat, c. 51. pr. (u) de Offic. 3, 3. extr.

non laudare & probare etiam dissimiles. Hinc enim *probitas* dicta est, quam accusatorie magis quam vere algere dixit Satiricus, (x) etiam cum laudatur, & de qua haud paullo verius est Ciceronis (y) præconium, *Quod si tanta vis PROBITATIS est, ut eam vel in iis quos nunquam vidimus, vel, quod maius est, in hoste etiam diligamus: quid mirum, si animi hominum moveantur; cum eorum, quibuscum usu coniuncti esse possunt, VIRTUTEM & BONITATEM PERSPICERE videantur.* Quare cum summa felicitatis sæculari carmine expetenda esse, PROBOS mores docili iuventæ a Dis dari optat Horatius (z). Mores autem oratoris, quibus ille commen- dari debet auditoribus, (quæ quidem præceptio, quod obiter dicendum est, pessimo exemplo hodie fere omittitur, frivola de causa, in libellis oratoriis) mores igitur oratoris ita describit Orator maximus, (a) ut primo loco illud nomen ponat, cui deinde interpretando alia assumit, *Vt quasi mores oratoris effingat oratio, -- ut PROBI, ut bene morati, ut boni viri esse videamur: quor-*

Ccc 4 sum

(x) Juven. Sat. 1, 74. (y) de amic. c. 9, pr.

(z) versu 45. (a) Cic. de orat. 2, 43. extr.

sum etiam illud pertinet, (b) quod *in ipso iaco* aliquid PROBI ingenii vult elucere. Cum igitur *mores* oratoris PROBI esse debent, hoc est orator ipse; tum *oratio*, quæ *imago animi* est, quin, quod ante iam commemorabam, foras prodiens *animus*, PROBAM dicitur, quæ *hōs* illud PROBI *hominis* refert & exprimit. Quare *poëta peccat*, Tullio, (c) quin ratione ipsa auctore, *cum probam orationem affingit improbo*. Et cum animi notæ quædam in vultu quoque hominum sint impressæ, quæ res in disciplinæ etiam quan-dam viam formamque ab aliquibus redacta est, hinc intelligitur, quid sibi voluerit Plinius (d) cum *os PROBVM Pompeii laudat* & iterum (e) eidem *os PROBVM ac venerandum per cunctas gentes tribuit*. Atque in his quidem omnibus non unam aliquam virtutem i. e. eius partem significat, siquidem una proprie est, in multos quasi ramos ex una simplicique stirpe distributa; sed totam, quanta quanta est, ambitu suo complectitur, quatenus ea examen sustinet, & certis notis sincera & germana esse probatur. Sunt tamen etiam loca veterum, ubi magis

---

b) Cic. de off. 1, 29. (c) Orat. c. 22. post med.  
(d) 7, 12. f. 10. (e) 37, 2, f. 6.

magis ad partem aliquam s. speciem virtutis referri videtur, quod de *frugi*, *pudoris* item appellatione constat. In quo tamen illud discrimen inest, quod in his a peculiari quadam laude parsimoniæ & verecundia, ad genus ipsum transitus factus est; in PROBI nomine generalis honestas ad partem quandam decoris est translata. Nimirum pro casto non nunquam poni PROBVM volunt, ut cum PROBVM vocat Cicero (f) adolescentem in C. Marii exercitu, qui interfecto tribuno vim pudicitiae ipsius inferenti facere periculose, quam perpeti turpiter maluit. Ita verecundum & modestum notat in illo Horatii, (g) PROBVS quis Nobiscum vivit; multum demissus homo ille est. Quemadmodum enim magno animo, & honestæ libertati, fastus in vicinia adiacet atque improbitas, pudori in primis adversaria: sic modestiam & verecundiam PROBI hominis facile est calumniari humilitatem & nimiam animi demissionem. Ita simplicitatem quandam honestam notat in illo Ciceronis (h) *Hoc ne homines quidem PROBI*, i.e. aperti

Ccc 5                    alio-

(f) pro Milo. c. 4. pr. ubi plura in hanc rem confessit Abram. (g) Horat. Ser. 1, 3, 56.

(h) de Divin. 2, 25.



alioquin & simplices, sed iidem prudentes & benevoli faciunt, ut amicis impendentes calamitates significant, quas illi effugere nullo modo possint, quod hoc nimur non tam monentis videatur esse, quam mœrore, qui nihil profit, amicum affientis. Satis credo appareat, ILLVSTRISSIME DOMINE, quæ vis fuerit apud veteres nominis, de quo quærere lubuit; superest, ut, virone principe dignum putaverint? videamus. Hic non barbati illi in consilium adhibendi sunt, qui non indignum putarunt summo in rep. viro Bubulcum dici, aut Scropham adeo: quos eosdem si PROBI cognomen in Aemilia, Falconia, Valeria familiis amasse dicam, non multum profecero. Verum excitemus ex illa Roma testes, quæ iam in fastigio elegantiarum & politissimi cuiusdam fastidii stabat, quæque fastu potius adscitorum cognominum peccabat, quam humilitate. De Aurelio Valerio Probo, cui iam tum orbis terrarum destinaretur imperium, magno postea & præclaro principe, qualem (si Vopisco (i) fides est) *historia Romana non novit*, Valerianus imperator ipse *sui nominis*

---

(i) Vop. in Probo, c. 3. extr.

minis virum cum dicit (k) magnifice a se laudatum putat, cuius etiam hæc de ipso verba erant, (l) *Si Probum cogitas, adolescentem vere PROBVM. Nunquam enim aliud mihi, quum eum cogito, nomen occurrit. Quod nisi nomen haberet, Potvit HABERI COGNOMEN.* Hoc præiudicium secuti videntur paullo post milites. Cum (m) enim Aureliano successor quereretur ab exercitu, & tribuni manipulatim alloquerentur milites, dicentes, requirendum esse Principem aliquem fortem, sanguinum, verecundum, clementem, PROBVM (quo quidem nomine complecti videntur voluisse, quæ præcedunt reliqua) idque per multos circulos, ut fieri afferret, diceretur, quasi divino nutu undique ab omnibus acclamatum est, (qui scilicet omen PROBI nominis sequentur) PROBE AVGVSTE DI TE SERVENT. Neque aliud spectarunt, qui inscriptionem sepulcro ipsius fecere, (n) *HIC PROBVS IMPERATOR ET VERE PROBVS SITVS EST. Dignum Principe magno cognomen esse, nemo forte qui ista legerit, dubitandum putabit.*

Neque

---

(k) in Epistola quam Vopiscus servavit. l. c. c. 4. pr. (l) in alia epist. ibid. (m) Vopiscus, c. 10. (n) Id. c. 21.

Neque vero, cui illud præter cæteros tribuendum sit, magnam quæstionem habere potest apud eos quidem, qui Serenissimum WILHELMVM ERNESTVM, patriæ nostræ Patrem norint. Quemadmodum enim, cum versiculi (o) quidam ab Aeschyllo facti de Amphiarao in theatro Atheniensium recitarentur, quorum ea erat sententia, *non velle illum videri optimum, sed esse, ex profundis mentis illius fulcis præclara germinare consilia; confessim omnes qui aderant oculis in Aristidem coniectis, illum ipsum hoc præconio mastrarunt: ita si quis hanc de Probi*

appel-

(o) Plut. Apopht. p. 186. Crus. Αἰσχύλος δὲ ποιησαντὶ εἰς Ἀμφιάρεον

'Ου γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι Θέλει,  
Βαθεῖαν ἀλοκα διὰ Φρενὸς παρπόμενος,  
ΑΦ' ἦς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βλέψιματα,  
καὶ λεγομένων τέτων, πάντες εἰς Αριστείδην  
ἐβλεψαν. Repetit in vita Aristidis, p. 320. ubi  
addit, ὡς ἐκείνῳ μάλιστα τῆς ἀρετῆς τάυτης  
περσηήσης. Non nego, mihi in mentem  
venisse, Vinariæ si quis recitet Aeschylus  
versus, vix futurum quemquam, qui non  
ad te, ILLVSTRISSIME DOMINE, eos  
apud animum suum referat.

appellatione disputatiunculam cognosceret,  
cui Serenissimi WILHELMI ERNESTI virtutem  
paullo intueri proprius, & perspicere aliquo  
modo licuerit, ille ante etiam, quam no-  
men hoc æternitati debitum hic videret,  
ipso sibi subiiciente animo, in eam senten-  
tiam venturus videtur, illum unum dignis-  
simum esse, cui PROBI nomen cum ab his,  
qui cum ipso vivunt, tum multo magis ab  
omni posteritate tribuatur, atque adeo qui-  
dem, ut velut Tullio sæpe *magnum* simili-  
citer dicente, nemo adfuit, quin Pompe-  
ium cogitaret, ita si quis PROBVM laudet,  
non magis Serenissimus WILHELMVS ERNE-  
STVS, Saxonie Dux, quam si hoc ipso suo  
nomine vocatus esset, intelligatur. Neque  
dubito, quin pluribus usu venturum sit,  
quod mihi in hac ipsa scriptiuncula acci-  
disse, vere confirmare possum. Obversa-  
tur, quoties de intellectu nominis huius ali-  
quid in chartam coniiciebam, augusta Se-  
renissimi Principis imago, non corporis ea-  
tantum, & PROBVM illud os quod Pompeo  
tribuisse Plinium vidimus, sed simulacrum  
animi ipsius, quod per præclaros non ser-  
mones modo, verum etiam actiones ad  
omne ævum memorandas, per longam, ut  
sunt



sunt mortalia, annorum seriem prodiit, in quo spectare nobis licet, sincerum illum & probum, purissimi auri instar, Saxonici sanguinis splendorem, pietatem illam adversus summum numen nihil fucatum habentem, nihil adulteratum aut subdolum; illam adversus cives suos benevolentiam, constantiam illam in adversis, in secundis moderationem, par in utraque fortuna fastigium; eaque singula experimentis probata plurimis: tum si ad angustiores etiam illos intellectus descendere lubeat, castitatem admirabilem, cuius nunc in viridi & valentula senectute fructum percipit uberrimum; porro generosam illam simplicitatem, & pompæ omnis immoderatæ in verbis & factis contemtricem, qua quidem luxuria potius quam magnificentia, vel maxime, quam infirmi sint, produnt viri principes, infirmos certe se reddunt, ne dum veram sibi magnitudinem concilient; illam denique abhorrentem a simulatione comitatem, quæ ipsa etiam causa est, ut non ita promiscuos amet, ac videntur quidam optare, hominum congressus. Non profecto, quo meditandum demum illi sit, cum Terentiano illo Demea, ut videatur esse

esse affabilis, ac difficile sit ipsi blande aliquid dicere. Potius enim dixeris in optimum Principem illud alterum Terentianum, *At tu ecastor morem antiquum atque ingenium obtines, Ut unus omnium homo te vivat nunquam quisquam blandior.* Idque norunt, quibus vel semel contigit serenum illum Serenissimi Principis vultum coram, venerari, & alloquio frui, quo nihil potest esse mitius. Verum, uti modo significabam, illam simulandi artem dicam an necessitatem? qua in tempore nemo ipso utitur sapientius, ita vel refugit PROBVS noster, vel prudenter dispensat, ut malit cum paucioribus agere, quam ea præter rem adhibita probitati suæ vim aliquam inferre. Verum plus forte quam par est, umbraticus homo de his rebus disputatione, de quibus non nisi tui similes, ILLVSTRISSIME DOMINE, loqui par est. Et ipse profecto tum ab his, quæ modo dixi, tum universo genere laudandi Principis abstinuisse, cui maiorem deberi reverentiam novi, quam ut imperitorum hominum laudibus gloriæ ipsius, quantum quidem in iis situm est, officiatur: nisi & tua, ILLVSTRISSIME DOMINE, commendatione, & ipsius Serenissimi Principis voluntate,

in



in eum locum productus essem, ubi ne ta-  
cere quidem semper sine impietate possum:  
& nisi viderer mihi ex tua, qua nihil in vi-  
ta maioris facio, consuetudine hoc assecu-  
tus, ut homines non plane me a disputa-  
tione eiusmodi removendum putent, quo  
iure putent, ipsi viderint: nisi denique ple-  
rorumque omnium, quæ de **WILHELMO**  
**ERNESTO PROBO** dicta a me sunt, auctorem  
te ipsum haberem. Itaque & hæc in pluri-  
um manus venire patior, & illud porro  
profiteor, me dum vita suppetet, neque ve-  
nerationem Optimi Principis, neque stu-  
dium ipsius, quantum per ingenii nostri  
angustias licet, laudandi, & tam sancti no-  
minis ad posteros prodendi, depositurum.  
Qua quidem re neque tibi, **ILLVSTRISSIME**  
**DOMINE**, quidquam gratius a me fieri pos-  
se, exploratum mihi est, qui tanto tibi  
magis unum quemque complectendum or-  
nandumque putas, quo illum senseris Deo,  
eiusque inter mortales personam gerenti-  
bus, præter cæteros autem **WILHELMO** **ER-**  
**NESTO PROBO** fideliores. Adeo te tui in aliis  
mores delectant, qui ut quam diutissime  
re salvo., patriæ universæ emolumento,

Serenis.



Serenissimo autem illius Patri gloriæ &  
voluptati sint, ex animi mei sententia &  
votis omnibus precor.

Vin. a. d. viii. Maii, A. R. G. cīc 10cc xxviii.

\* \* \* \* \*

Cum renunciaret typographus, fore ut  
pagella vacet, non abs re futurum putavi,  
si adiicerem literulas illas, quas occasionem  
huic scriptiunculæ dedisse, paullo ante di-  
cebam, quarum levitatem non excuso, cum  
lusum esse, iam fassus sim.

**M**ein Vater, Fürst und Herr, sieh deine  
Tochter an,  
Die deiner Gnade sich ganz neulich rüh-  
men kan,  
Dass ihren Wärter Du so gnädiglich be-  
schencket,  
Daran er Lebenslang mit tiefsten Danck  
gedencket:  
Sie untersteht sich auch, mein Vater, zürne  
nicht,  
Zu ihrem Fürsten-Schmuck um etwas an-  
zuflehen.

*Tom. I. Fasc. IV.*

Ddd

An



Ein Stück vom Iubel- Jahr, das nächstens  
neu anbricht  
Wird, wenn zu solcher Zeit sie sich wird  
lassen sehen,  
Auch Dir, Durchlauchtigster, zu einer Zier-  
de seyn. (ein.  
Ich weiss Du willigst gern in meine Bitte  
Der Himmel wolle dich auch allezeit er-  
hoeren,  
Und, was dein Fürsten-Hertz sich wün-  
schen, stets gewehren.

*Dein*

Da dein und Luthers Nahm'  
in dem Kalender steht.

unterthänigst Kind  
und Magd

Müntz-Cabinet.

xx xx

Cum elegantissima hac Cel. Gesneri Epistola,  
primo loco, nisi præcedentes philyræ iam impressi  
fuissent, cum ea potiremur, ponenda, comparari  
meretur illud ad eundem Illustriss. MARSCHAL-  
LVM eiusdem carmen, quod non sine insignis be-  
nevolentia plena incomparabilis huius Mæcena-  
tis approbatione, Fasc. III. p. 674. sqq. insertum a  
nobis fuisse, libentissime nuper edocti sumus.

VI.

VI.

GEORGII VOGLERİ EPI-  
STOLA (\*) AD SVPERATTEN-  
DENTES ONOLDINOS, DE VI-  
SITATIONE ECCLESIARVM  
SOLENNI INSTITV-  
ENDA.

i. e.

Schrift an die Superatten-  
denten zue Onoltzbach ainer Stat-  
lichen Visitation halben. Frei-  
tags nach Andree  
Anno 1534. (\*\*)

Ddd 2

An

(\*) Fidem in Fasc. III. p. 531. & 567. datam libe-  
raturus, ex liberalitate Exc. Dn. D. Io. LAVR.  
a IEMGVMER CLOSTER, & hanc Epistolam fide-  
lissime tecum B.L. communico. Apographum  
quidem est Amanuensis Vogleri, sed quod  
ipse Voglerus accurate recognovit, & sua  
ipsius manu passim emendavit.

(\*\*) Hunc titulum ipse Voglerus extrinsecus  
adscripsit, ut rubricæ loco esse posset.